

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Eduard Lorenz

De Chorea St. Viti : Dissertatio Inauguralis Medica

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXLII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010725068>

Druck Freier  Zugang



OCR-Volltext

ARCHIV

1042

СИЛЯНІЯ ВОЛОНТІЯ

ОУЧАВІСТІВ
АДІСІВ СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ ПІДОВІСТІВ ПОЛІСТІВ

ПІДОВІСТІВ СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ

СІДАВІСТІВ

DE
Chorea St. Viti.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESCENDOS

SCRIPSIT

Eduardus Georgius Henricus Lorenz
Neostadio - Megapolitanus.

ROSTOCHIL.
T Y P I S A D L E R I A N I S.
MDCCCLXII.

DOCTOREMAN DOCTOREMAN

PHYSICO-MATHEMATICA
ET NATURALIA SCIENTIA

n. 70

CARTIOGI MECOSCOLI OLOMUS

PROSESSES INSTRUMENTALIS ET
INSTRUMENTALIS PROSESSES



HISTORICUS GEOGRAPHICUS POMERANIAE POLONIAE

HOCHSTADT

1750. 1751. 1752. 1753. 1754. 1755. 1756.

1757. 1758. 1759. 1760. 1761. 1762. 1763.

1764. 1765. 1766. 1767. 1768. 1769. 1770.

VIRO NOBILISSIMO

HELMUTH AB HOBE

PRAESIDI VICARIO SUMMI, AD QUOD PROVOCATUR, JUDICII,
FAUTORI, AD CINERES USQUE COLENDO,

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

**PRO SUMMAE VENERATIONIS ET PIETATIS
DOCUMENTO**

DEDICAVIT

AUCTOR.

§. 1.

Nomen morbi.

Morbo, de quo disserere mihi proposui, varia nomina sunt, quorum apud nostrates usitatum est „Chorea St. Viti“. Quod nomen temporibus antiquis superstitione plenis est ortum, quum sanatio morborum, qui hominum intelligentiam et notionem fugiebant, Sanctorum intercessionibus pro hominibus factis tribuebatur. Ita factum est, ut mense Majo multi aegroti aedem St. Viti, prope Ulmum urbem sitam peterent, ibique inquiete perpetua coacti tam diu saltare solerent, donec fessi collaborentur. Alii hoc nomen e chorea epidemica deducunt, quae anno 1354 et 1375 viguit, et omnes ordines, genera, aetates corripuit. Illis temporibus habebantur daemoniaci, qui bibliorum dictis diabolique expulsione per exsecrationem facta

sanarentur. Tunc alii hoc morbo affecti St. Vitum, monasterii Corveiensis patronum implorabant; alii vestimentis abjectis capitibusque floribus ornatis certis congregiebantur locis continuoque saltabant, donec extreum vitae spiritum ederent, nisi vi a saltationibus prohiberentur; alii saxis capita illiserunt, alii in aquas se miserunt, alii summa tristitia in se ipsos saevierunt; alii ejularunt, corporibusque nudatis impudentissime se gesserunt. Sunt qui contendant, illum morbum non choream, sed raphaniam fuisse, quum chorea nunquam sit observata epidemica. Quae opinio ab Horstio et Platero relata jam dudum perscrutationibus accuratissimis est refutata. Temporibus novissimis auctor quidam conjecturis falsissimis deditus choream epidemicam non fuisse morbum, sed furorem religione productum confirmat. Hem! quid narras? an negas, corporis morbum e causis psychicis oriri posse? Fortasse non legisti, quae de morborum causis ex animo profluentibus auctores scripserunt, morbumque nescis, quae vocatur nostalgia, nunquam comperisti, quae Dubois et Idele et Romberg de hypochondriae causis protulerunt? Sed haec quidem hactenus. Tamen si quis sit qui dubitet, satis est; monographiam Heckeri de chorea epidemica scriptam comme-

morasse. Num medici antiqui, Hippocrates, Galenus, Celsus hunc morbum noverint, dubitandum est. Morbi quidem mentionem faciunt, quem Sclerotyrben nominant, atque quem nonnulli Chorea St. Viti esse putarunt. Tamen Sclerotyrbes symptomata a Galeno narrata valde a chorea differunt. Originem praeterea ceperunt symptomata e scorbuto morbusque principue milites, cui in castris stativis pravam assumere aquam, vexabit. Ejusdem morbi alia nomina sunt haec: Syphita auctore Paracelso; Orchestraomania auctore Juncker, Scelerotyrbe auct. Sauvages et Schmalz, Choresmania et Ballismus auct. Plouquet, Epilepsia procurativa, Hierosis etc. Galli morborum nominant Danse de Saint-Guy, Danse de Saint-Vit; Angli St. Vitus's Dance, Itali Ballo di santo Vito, Carnevalletto della donna; Germani Veitstanz, Tanzkrankheit.

§. 2.

Morbi symptomata et decursus.

Symptomatibus morbus incipit non conspicuus, a systemate nervoso pendentibus, quae symptomata parti medullae spinalis affectae convenient. Raro enim aegroti repente corripiuntur. Itaque prodromi sunt varii, quia morbi sedes est

varia. Quibus igitur morbus instat, modo queruntur vertiginem, oculorum obscurationem, anxietatem, pectoris oppressionem, cordis palpitations cum suppressis et spasticis pulsibus, cardialgiam, extremitatum dolores et formicationis sensum; modo palpebrarum corrugatione, oscitatione, pharyngis constrictione afficiuntur; modo hilaritatem et loquacitatem, modo morositatem praese ferunt. Artuum motus sunt incerti, quod aegroti festinatione quadam celare student. Raro prodromi perdurant, plerumque intermittere solent per hebdomades et menses. Similia phaenomena unumquemque paroxysmum annuntiare solent. Tum convulsiones musculorum voluntati obedientium sequuntur, praecipue extremitatum, quae mirum in modum alternis contractionibus distorquentur, ita ut diversissimae gesticulationes apparent. Modo aegroti capite nictant, ita ut mentum summa vi ad sternum moveatur, modo caput ad cervicem jaclitant, ita ut tracheae ruptura immineat.

Brachia in varias directiones contorquentur, modo thoraci apprimuntur, modo manus ad humeros retrahuntur. Sic Wichmann narrat, se aegrotum observasse, qui manibus pectus vehementer percuteret, ita ut tegumento opus esset,

ne pectus vulneraretur. Alii vestimenta scabendo et dilacerando perdidunt, alii pectus tam diu fricuerunt, ut tum digitii fricantes, tum pectus tritum occalescerent. Brachiorum musculi non obediunt voluntati, nullo enim modo aegroti sistere, augere vel diminuere motus valent. Itaque quum poculum aut cochlear ad os admovere volunt, huc illuc manus ducunt, quod poculo continetur effundunt et vas paene vacuum aegre ad labia adducunt. Praeceteris eae partes afficiuntur, quibus aegroti uti consueverunt. Quae ex re solitos labores persequi motusque involuntarios ordine quodam facere videntur. Sic Tulpius narrat, feminam modo sinistro modo dextro brachio in genua, tamquam in incudem continuo pulsasse, ita ut, ne violarentur pulvinaribus essent tegenda.

Crura fere eodem modo distorquent aegroti uti brachia. Pedes jaquant hue illuc, modo extendunt crura, modo slectunt ad nates, quam celerime possunt. Modo consistere non possunt (Sclerotyrbe instabilis), modo currere, non autem tardo incedere passu possunt (Sclerotyrbe festinans seu Epilepsia procursiva); modo claudicant etc.; ut luxationes efficiantur, quod Brinckmann narrat et Scherer in femina, quae chorea magna

erat affecta, observavit. Baldinger hunc casum memoriae prodidit. Aegrota magno cum clamore brachium sinistrum ita distorsit, ut capitis ossis humeri et condylorum cubitus subluxationes efficerentur, quae per quadrantem horae perdurarunt. Tum impulsu naturae brachium in gyrum duxit, usque dum caput humeri in sedem suam reposuisset. Eodem temporis momento idem ossis femoris et pedis ejusdem lateris sinistri motus incepit, qui parem subluxationem effecit cum eodem etiam labore usque ad repositionem et distorsione spastica tanta, ut tarsus et metatarsus in abdomine essent collocati et ossa plantae pedis paululum eminentia, tendines autem tanquam funes extensi apparerent. Nonnulli scriptores memoriae tradiderunt, ossa convulsionibus esse fracta.

Saepe corpus totum horrendum in modum hoc atque illuc flectitur, modo quasi tetano universalis correptum riget, modo opisthotonus, modo emprosthotonus et pleurosthotonus adest. Columna vertebralis ita reclinatur, ut caput calcem attingat. Modo corpus globi instar contrahitur; aegrotus omnia perreptat et in caput se circumagit; interdum ranarum pisciumque motus imitatur, magna cum agilitate celeritateque mensas, scalas parietesque scandit, in tam parvis receptaculis se ab-

scondit, ut ex iis vix aliorum auxilis protrahi possit haec omnia tanta cum voluptate, ut nullo modo possit retineri. Motus atque jactationes saepissime tanta vi aegroti persequuntur, ut ne fortissimi quidem vim eorum musculararem perdomare valeant. Quod si prospere evenerit, musculi perpetuo palpitant et aegroti anxietate et magna animi perturbatione vexantur, quare viribus illatis reluctant in priorem statum redire student. Quo facto, palpitationibus non amplius impeditis, symptomata, quae prius extiterunt, evanescunt. Interdum per totum paroxysmi tempus tellurem pulsant pede. Wichmann quidem negavit, se unquam aegrotos vere saltantes vidisse, eorumque motus et gesticulationes saltationis solummodo praese ferre speciem. Nihilominus multi auctores notarunt exempla, quae, aegrotos Chorea affectos saltasse demonstrant. Sic mulier membrorum inquietudine quadam correpta ultiro et citro cursare et saltatione moveri coepit. Interdum subitanea pedum contractione inter saltationem correpta, subsistere coacta est; mox tamen, soluto iterum spasko, denuo saltare perrexit. Praecordiorum tensio, quam inde ortam aegre tulit, non prius cessit, quam saltandi fecit initium. Paullini puellam octo annos natam, per integrum fere diem noctemque

sine intermissione saltantem observavit, sudore e
toto corpore promanente et Sydenham „Ipse
vidi, inquit, puellas duas hoc morbo affectas
diutius saltantes, tanquam lyra agitatas.“ Non-
nunquam in gyrum se agunt aegroti usque dum
sopor fessos occupat artus.

Sed non modo extremitatum, sed etiam aliarum
partium musculi motibus spasticis corripiuntur.
Faciales musculi huc atque illuc et quidem
mirandum in modum moventur, ita ut os ad
aures diducatur. Oculi rigent, aut circumvol-
vuntur, pupilla vel est dilatata, vel coactata,
frons et palpebrae aut corrugantur aut explanan-
tur, galea sursum et deorsum ducitur. Modo
os patet, lingua aut tremit aut ad digitii minimi
crassitudinem contracta ad uvulam retrahitur;
haud raro variae glossocoeles species apparent;
os vehementer cum dentium stridore clauditur,
ut vi aperiri non possit. Interdum aegroti risum
aut cachinnum edunt, interdum os musculis
facialibus detorquetur, ita ut aegroti modo risum,
modo fletum imitari videantur.

Organa quoque interna, morbo amplius pro-
gresso, motibus convulsivis afficiuntur. Photopsia,
diplopia, visus nebulosus, aurium dolores pungen-
tes, tinnitus adsunt. Aegroti surditate affecti
videntur, tamen ita, ut quo clariore voce illos

inclames, eo minus verba percipient; sententias contra submissa voce pronuntiatas optime audiant. Alii lingua haesitant, alii ab ortu ad umbram lucis sonos inexplanibiles pronuntiant, exempli gratia hop, hop aut wu, wu aut hem, hem etc. Tamen balbutiente ore edere possunt verba per breve tempus, tunc voces jam memoratas summa vi ab iis emituntur. Quos sonos cessare, simulac aegroti maxillam inferiorem vel atlantem gravius presseris narrat Stiebel. Vox mutatur, aliquosque modos induit. Aegroti latratus edunt, rugiunt, felis vocem aut galli cantum imitantur; interdum eos deficit vox. Devoratio aut difficilis, aut plane impedita est, ita ut fluida assumta per os et nares rejiciantur. Dyspnoea, pectoris dolores acerbissimi hue atque illuc migrantes; palpitaciones cordis, respiratio valde impedita, interdum suffocationis periculum adsunt. Interdum excrementa et urina spasmo musculorum sphincterum retinentur, aut excretiones in paroxysmo involuntariae fiunt. Modo bulimia et polyphagia vexantur aegroti, cibos avide devorant et mandere solent, quaecunque arripere possunt, modo omnes cibos repudiant, ita ut vix, quomodo vitam sustentent, possit intelligi.

Plerumque aegroti mentis suae plane compotes sunt; haud raro si jam per longius tempus con-

vulsionibus membrorum vexati fuerint, tristitia affici solent; quae tristitia saepissime subito convertitur in magnam laetitiam. Interdum ulti augere convulsiones, quae adstantium admirationem et risum concitant, studere videntur. Non nunquam etiam, quasi inspiratione concitat, orationes proferunt, aut versus recitant, quos didicerunt aut cantilenas canunt. Sic Reilius observavit feminam, quae mente compos, sed quasi coacta, modos dulcissimos, quos antea ad eitharam cantatos percepit, cantavit. Quin etiam aegroti, tanquam divinandi facultate praediti, paroxysmi redditum accuratissime praesagiunt, ejusque intensitatem et durationem, nec non ipsum temporis momentum, quo morbus prospero ad finem adducatur, quod Vogel noster in litteris medicis narrat. Hoc in casu simulationem non adesse, vir doctus expresse affirmat. Raro aegrotorum conscientia plane tollitur et sublata plerumque, paroxysmo finito, statim solet redire. Interdum visionibus per paroxysmum vexantur, interdum somnambulismo afficiuntur. Quae quamvis observationibus sint confirmata, viri doctissimi in memoriam revocare debemus sententiam „mulieri ne mortuae quidem credendum est“. Quae sententia mihi in mentem venit, quum observationes, quas viri docti Plath et Marc

de puellis ventriloquis narrarunt, in animo volverem. De ventriculatione, qua erat affecta puella, Marc scripsit his verbis: Nunc vero novo quodam augebantur insultus phaenomeno, difficillime explicando. Strepitu scilicet in articulationibus illi simili, quem mures rodendo in parietibus excitare solent, vel qui auditur, dum unguibus asseres transversarie radimus. Hic strepitus in quamcunque suppellectilem, ab aegrota tactam, transire videbatur, ac si ex illa proveniret, non ex hujus corpore, et supellectilis ingenio respondebat et indole et vi, ita ut, exempli causa, aegra sellae imposita, strepitus in sella ligno quasi perciperetur. Huic simillima observatio Plathiana est. Et haec ipsa quidem luculentissime demonstravit, voces a puella pronuntias non fuisse involuntarias, sed voluntarias et quacunque de causa simulatas. Nam Plath narravit, aegrotam in sinu esse gavisam, quod voces clare perciperentur, simulac illas edere juberetur. Et strepitus jam per aliquod tempus non amplius perceptus rediit, quum vir juvenis cubiculum introivit, puellaque erubuit, quamquam convulsionibus usque erat affecta.

Morbum, qui haec symptomata aut cuncta aut pleraque prae se fert, choream magnam vocant medici. Hanc nostris temporis rarius

esse observatam, jam Wichmann notavit communicavitque nobiscum Barez, in morbis infantum sanandis experientissimus, se tantum modo bis vidiisse choream magnam. Saepius choream parvam invenimus, in qua nec spasmi universales adsunt, nec sensorium est turbatum. Hanc solam choreae speciem Anglos cognovisse, multi auctores affirmant. Saepissime extremitates alterius tantum modo lateris, praecipue sinistri motibus spasticis corripiuntur (Chorea semilateralis seu dimidiata) aut convulsiones alterius lateris sunt vehementiores quam alterius.

Paroxysmus postquam horam dimidiā aut brevius aut longius tempus duravit, sensim ad finem vergit, convulsiones minuantur et musculi voluntati aegrotorum parere incipiunt. Plerumque lassitudinem et dormiendi cupiditatem queruntur aegroti; paullatimque sudore profuso corpus tegitur. Alii statim muneribus suis fungi possunt bene valentes. Quaecunque per paroxysmi tempus vel fecerunt vel perpessi sunt aegroti, ea bene recordantur; interdum si mentis non fuerint compotes, nullam paroxysmi conservant memoriam. Paroxysmi irregularibus typis aut quotidie semel, bis pluriesve, aut longioribus spatiis interpositis, recurrere solent. Interdum paroxysmi reditus est regularis. Perraro paroxysmi per-

diem noctemque, rarissime per plures dies noctesve perdurant. Aegrotorum somnus fere semper quietus est, nullis convulsionibus interruptus; interdum autem subsultui tendinum adesse, hominesque loquaces, etiam in somno, fabulari solent. Unum tantummodo casum a Vogel observatum inveni, in quo aegrotus nocte convulsionibus vexatus, die autem satis commoda valetudine usus est. Paroxysmi plerumque sponte redeunt, saepe autem animi perturbationibus e. g. terrore, anxietate etc., aut mala diaeta aut refrigerationibus concitantur. Interdum convulsiones statim evanuerunt, simulac ferrum attigit aegrotum, vel aegrotus altera manu zincum, altera argentum tenuit. Observationem huc referendam in disquisitionibus diagnosticis posteris tradidit Wichmann.

Morbi decursus est chronicus, menses et annos perdurans; perraro acutus. Nonnunquam choream comitantur morbi febriles, qui autem ad morbi durationem et paroxysmorum intensitatem vim habent nullam. Si morbus longius perdurat, aut in epilepsiam, amentiam, apoplexiā, paralyses abire, aut febrem hecticam efficere solet. Evidem vidi puellam, quae, morbo per sudorem universalem prospere finito, ulcerationibus, quas, licet omnis cautio adhibita esset, convulsionibus sibi contraxerat, obiit.

§. 3.

Aetiology morbi.

Sexus sequior potiori proclivior ad choream esse videtur. Sic Rufz narrat in clinico ad morbos infantum sanandos instituto puellarum, quae chorea sint affectae, numerum duplo fuisse majorem, quam puerorum. In utroque sexu ab aetatis anno sexto usque ad pubertatis tempus adesse solet dispositio; quamquam provectionem quoque aetatem chorea aggreditur. Viri doctissimi quidem Sydenham et Wichmann negarunt, nec homines aetate provectiones, nec infantes, qui decimum vitae annum nondum intrassent, unquam chorea esse affectos; rarissimeque puellas, priusquam purgationes menstruas habuissent. Contra Sachse observationes non paucas literis mandavit, et parvulos et viros et senes morbo nostro laborasse; nec non Willmann „Quintum aetatis annum, inquit, vix egressos hoc morbo laborasse novimus“. Ex rationibus ab Rufz institutis sequitur, tertiam aegrotorum partem nondum fuisse decennem.

Antiquis temporibus morbi origo diaboli viribus est adscripta. Quodsi diaboli verbo hunc sensum tribuis, ut nihil aliud nisi corporis libidines significet, tantum abest, ut contra disputem

ut nihil opus sit quam ad auctores remittere lectores, quo approbent hanc sententiam. Causis occasionalibus porro adnumerantur animi perturbationes et cupiditates e. g. terror, timor, amor repudiatus, adspectus cuiusdam choreae paroxysmo laborantis; nec minus nervorum incitamenta, quae causis physicis efficiuntur: dentitio prima, incipientis pubertatis tempus, praesertim prima menstruatio magnis moliminibus conjuncta, graviditas prima, vermes intestinales, praecipue taenia. Quas causas nunc enumeratas medici quassante capite ne recusent, tanquam obsoletas; nam novissimis temporibus Johannes Müller demonstravit, sive nervi sympathici, sive nervorum cerebrospinalium irritationibus spasmos et partiales et universales posse oriri. Eandem vim venena nonnulla vegetabilia et mineralia e. g. Stramonium, Hyoscyamus, plumbi et hydrargyri vapores habent; nec non morbi exanthematici male curati et suppressi, miliaria, variolae, porrigo favosa et lupinosa, scabies etc.; ulcera, praesertim inveterata, setacea et fonticuli subito sanati. Sic Gondinet narravit, virum sexaginta annos natum chorea lateris sinistri fuisse affectum, quoties ulcus cauterio in humero sinistro contra asthma pituitosum effectum fuisset sanatum. Romberg in scholis de nervorum

morbis habitis nobis tradidit, meningitidem spinalem et typhum abdominalem choream esse secutam. Dispositio hereditaria perraro est observata. Chorea speciem, qui vocatur Tarantismus, in Apulia Lycosae Tarantulac ictu oriri dicunt. Tamen viri doctissimi negarunt, hunc morbum Tarantulae ictu effici, malum potius hypochondriacum esse habendum, quod e vita sedentaria, quam praeceps mulieres gerere solerent, oriretur; quare viros perraro tarantismo corripi, quia laboribus domesticis fungerentur. Ut, Lycosae ictu morbum non oriri, luculentissime demonstraretur, Bulifonius, medicus Neapolitanus, duas tarantulas ad brachium sibi apposuit, quae ipsum morderent. Nullo casu adverso orto vulnera consanuerunt. Sic Thomas Cornelio „Tous ceux, inquit, qui s'imaginent être mordus de la Tarantle, sont ordinairement de jeunes filles folles, que les auteurs italiens appellent Dolci de Sala, qui par quelque indisposition particulière tombent dans une espece de folie melancholique, s'imaginent d'après l'opinion vulgaire avoir été piquées par une Tarantle. Haec omnia demonstrant, Tarantismum esse choream e causis psychicis ortam.

Quod autem ad causam proximam choreae attinet, auctores in sententias discedunt contrarias.

Alii causam in plexibus et gangliis abdominalibus, alii in medulla spinali et oblongata esse collocandam putarunt. Sic Stiebel in libris ad artem medicam excolendam scriptis contendit, septimae vertebrae cervicalis intumescentiam aut dolorem vehementem morbi caussam esse; illam oculis, hunc digitorum vel penicilli aqua tepida madefacti pressione posse percipi; perraro partem medullae spinalis superiorem, nunquam inferiorem esse affectam. Hanc sententiam non satis perpensam observationes demonstrant, quas Stilling, Marshall, Hall, Enz, Niese retulerunt; quorum Stilling et Hall vertebrarum dolores nunquam, Enz et Niese inferiorem vertebrarum cervicalium et superiorum dorsalium dolores invenerunt. Intumescentiam autem et vertebrarum dolores non esse adnumerandos signis irritationis spinalis pathognomonicis, Stilling clarissime demonstravit. — Eos, qui contendant, choreac causam proximam in plexibus et gangliis abdominalibus esse quaerendam, errasse, verbose exponam non est necesse. Nam quis est qui sit ita rudis, ut ignoret, totam nervorum physiologiam confutasse hanc sententiam. Ubicunque nervi sensibilis irritatione spasmi universales vel partiales procreantur, hoc nulla alia sensibilium et motorium nervorum

conjunctione fieri potest, quam quae a medulla oblongata et spinali efficitur. Itaque sordes gastricae, vermes intestinales aliaeque causae, quae nervum sympatheticum irritant, convulsiones procreare possunt, simulac medulla spinalis in nervos motorios traduxit irritationem. Unde autem fit, ut nervi voluntati obedientes in chorea voluntatis impulsu moveri non possint? Nulla alia re fieri potest, quam quod coniunctio inter cerebrum et medullam spinalem sublata est eoque loco, quo hoc factum est, irritamentum adest, quo musculi motus involuntarios facere coguntur. Quale est irritamentum? Stiebel putavit, irritamentum h. e. causam proximam proportione perversa inter medullam spinalem et canalem vertebralem contineri, sive canalis vertebralnis medullae spinali turgescenti aut inflammatae non satis spatii praecedit, sive res ex contrario se habeat. Chorem irritatione medullae spinalis effici, omnes cum Stiebel consentiunt; hanc autem irritationem semper esse habendam inflammationem aut intumescentiam pubertate incipiente ortam, plerique negant. Cadaverum sectiones quidem proferuntur ad hanc sententiam comprobandam. Sectionibus autem accuratius perpensis, tantummodo dici potest, in medulla spinali aut in vertebris nil nisi ingentem sanguinis accumulatio-

nem esse repertam. Hanc sanguinis accumulationem oriri eo, quod nervi sensibles in nervos vaso-motorios aut exiguum aut nullam amplius vim exerceant Stilling in libro suo de irritatione spinali scripto demonstravit. Quare facile intelligitur, causis psychicis aut irritatione nervorum sensibilium choream oriri posse.

§. 4.

Diagnosis.

Plerumque haud difficile est, morbum nostrum cognoscere, eumque discernere ab aliis morbis spasticis et convulsionibus symptomaticis. Facilime confundi potest cum raphania. Distinctionis signa sunt haec: Raphania fere semper epidemica observatur; chorea nostris temporibus tantummodo singulos corripere solet; raphania oritur certo anni tempore, homines cujusque aetatis et sexus corripit, aegrotosque per dies noctesve vexal, artuum formicatio semper adest et saepissime transit in amentiam, insaniam vel epilepsiam. Haud raro aegroti gangraena partiali sunt extinti. Chorea autem apparet quoque anno et omnibus ejus temporibus, juvenilem aetatem praecipue invadit; paroxysmi per diem tantum perdurant; sensus formicationis abest; plerumque

chorea optabilem habet exitum raroque in alium nervorum morbum transit.

Ab epilepsia chorea eo differt, quod epilepsiae paroxysmi aura epileptica aut turbata sensuum acie annuntiari solent; choreae perraro. Epilepsia paroxysmos comitatur abolitio sensuum omnium et internorum et externorum; in chorea autem mens fere nunquam est alienata vel plane sublata.

Chorea non facile confundi potest cum spasmis hysterics, quippe qui globo hysteria annuntiari soleant.

§. 5.

Prognosis.

Prognosis in chorea omnino multo melior est, quam in plerisque aliis morbis spasticis; rarissime enim aegrotis vitam adimit aut in alias nervorum morbos transit e. g. in fatuitatem, epilepsiam, paralysin, apoplexiā etc. Wichmann quidem contendit, nec se neque alias observasse, choream aegrotis mortem intulisse. Tamen observationes a van Swieten, Cope land, Horn traditae demonstrant, chorea affectos apoplexia sanguinea aut febre hectica posse exspirare. Nonnulli scriptores quoque contendorunt, choream mulieres steriles, viros impotentes reddere. Tamen viri doctissimi Wichmann

et Sachse adnotarunt, hunc morbum ad secunditatem utriusque sexus diminuendam tam exiguum habere vim, ut potius qui eo afflicti fuerint multos postea liberos procreent.

Quo vehementiores et pertinaciores sunt paroxysmi, quo plures musculi spasmis corripiuntur et quo magis conscientia turbatur, eo difficilior sanatio. Itaque chorea magna sanata est difficilior, quam parva, quum a morbi causa jam totum nervorum systemata sit affectum. Si chorea cum aliis morbis est complicata e. g. cum scrophulosis, amenorrhoea, tabe dorsuali, febri hectica etc. prognosis fit dubia vergitque ad malam. Aequo iि, quibus est constitutio nervosa, sive hereditaria, sive acquisita difficilime sanantur; quare omnino sexus sequior prognosin pejorem potiori exhibit. De Haen negat morbum nostrum ex animi affectibus ortum posse sanari. Summi igitur momenta sunt ad prognosin causae occasioneis; quo pertinaciores causae, quae choream procreat, eo difficilior est sanatio, quo leviores autem, eo facilius morbo mederi possumus. Itaque chorea helminthiasi aut sordibus gastricis orta, nisi jam per longum tempus est protracta, remedii aptis facile sanatur; quae autem sub pubertatis initium incipit, ad ejus finem usque comitatur aegrotos.

§. 6.

Therapia.

Ingens medicaminum numerus ad choream sanandam est adhibita, omniaque enumerare nihil aliud esset nisi spicas vanas terere. Itaque satis superque erit, omnia ea enumerasse, quae ad morbi forum et ad mutationes ibi ortas spectant et quae multis virorum doctissimorum experimentis sunt probata. Causarum occasionalium rationem non habebo, quae quum, morbo exorto, aut desiverint esse efficaces, aut, si eorum efficacia adhuc perduret, diligentia accuratissima adhibita cognitae ex therapiae universalis regulis facilime possint curari. Praeterea sola causarum occasionalium ratio morbo sanando non sufficit; nam nulla lex minus digna est, nisi fallor, quae ad vitam organicam referatur, quam „*sublata causa, tollitur effectus*“. Epilepsia, chorea vel alias morbus terrore, timore etc. ortus, sit documento. Nam hos ipsos morbos convulsivos animi pathemate effectos ad vitae finem usque comitari homines, de Haen *πρατημάτως* confirmat. Causa sublata tamen perdurat effectus.

Cura dividitur in curationem singulorum paroxysmorum et chorea ipsius sanationem. Quod igitur attinet ad paroxysmi curationem, primum

cavendum est, ne aegroti sibi neve aliis detrimentum inferant motibus convulsivis. Lecto affixis et crura et brachia hue atque illuc moventibus cilicia sunt subjicienda, ne vulnerationes sibi contrahant. Necessitate cogente custos iis tribuendus est, qui cilicia confusa componat. Si aegrotus pectus ictibus verberet, aut in genua, tanquam in incudem, pulset, his partibus sunt super imponenda pulvinaria. Quum autem quis chorea magna est affectus, diligentiam quam maximam adhibeas, ne aegrotus inter saltandum, inter discurrendum vel inter scandendum sibi noceat. Tamen cave, ne aegroto vim afferas, ut motus convulsivi prohibeantur, quia tunc magna oritur anxietas et convulsiones prorumpunt eo vehementiores. Adstantes quoque omnes e cubiculo sunt removendi, quum spectatorum otiosorum risus atque admirationes aegrotorum convulsiones augere et prolongare videantur. Praeterea chorea affecti adspectus puellas puerisque in discriminem adducit, ut in eundem morbum incident. Quis enim est qui observationem Boechaavianam in orphanotropheo Leidensi factam ignoret? Remedia interna plerumque adhiberi non possunt, quum devoratio aut difficilis aut plane impedita est. Quod si aegroti medicamenta sumere possunt, tamen haec minimum

haec præbent utilitatem: Dignum est, quod examinetur, Wichmanni experimentum, ferri tactu aut galvanismo convulsiones compescendi. Paroxysmo finito, quies et somnus aegroto fatigato maxime prosunt, et, si symptomata sinunt, vinum vel aliud analepticum porrigi potest.

Causis occasionalibus remotis, morbum ipsum sanandum aggredimur. Quum igitur choreae causa proxima sit habenda irritatio spinalis, primum enumeranda sunt medicamenta, quae haemostasin in medulla spinali, sive hoc, sive illo modo, diminuant. Huc pertinent remedia laxantia, quae et sanguini liquores detrahendo et nervorum sensibilium reproductionem et energiam commutando ad circulationem sanguinis in medulla spinali vim habent magnam. Praecipue commendanda est in hominibus robustis et plethoricais aqua laxativa Viennensis Ph. borrucciae; in hominibus autem parum validis extracta saponeacea, rheum, sulphur, tartarus natronatus, natrum phosphoricum etc. sunt praferenda. Quae remedia ita propinentur, ut quotidie tres aut quatuor alvi dejectiones commoveant. Hanc medendi methodum plerumque choreae sanandae suffecisse, Barez identidem nobis confirmavit. Quod si autem chorea jam per longius tempus perduravit et convulsiones sunt universales, haec

methodus simplex ad morbum sanandum non suppetit, sed nos ad remedia validiora confugere necesse est. Itaque ad spinae partem dolentem hirudines sunt applicandae, quae non solum sanguinis copiam diminuunt, sed etiam nervos sensibiles irritando nervorum vasomotoriorum energiam ad normam reducunt. Cucurbitae cruentae idem efficere non videntur, sive ideo quod processibus spinosis admoveri non possunt, sive quod irritatio fortis cum parva sanguinis detractione conjuncta non parem praebet utilitatem ac irritamentum mitius majorque copia sanguinis emissi. Quibus remediis adhibitis si morbus tamen perduraverit, proderunt vesicatoria, sinapismi, unguenti tartari stibiali frictiones, setacea, fonticuli, aliaque id genus. Quae omnia efficiunt, tum ut medullae spinalis sanguis, partim seri exsudatione, partim cutis vasorum capillarium impletione diminuatur, tum sanguinis in medulla spinali circulatio nervorum sensibilium irritatione in integrum restituatur.

Altera curationis pars remediis constituitur, quae praecipue nervorum sensibilium vim in nervos vasomotorios restituunt eoque omnium partium reproductionem efficiunt. Prae ceteris chininum est laudandum, quod in morbis omnibus irritatione spinali ortis maxime profuit; tum

praeparata ferri, praecipue Tinctura nervina Bestucheffii et ferrum zooticum. Omnibus addere velim nucem vomicam et Strychninum nitricum, sive interne, sive externe methodo endermatica, adhibenda. Nec minus salutares sunt frictions (manibus et scopis setaceis et pannis laneis) et lotiones frigidae, electricitas, magnetismus. Et medicus animi habitum non respiciat? Sane. Accuratus observantem non fugiet, quibus aegrotis alloquia opus sint. Nam dum moeror et sollicitudo et amor repudiatus per dies noctesve cruciant aegrotos, nullis medicamentis salutem iis afferes, priusquam animi perturbationes removeris.

Remedia narcotica semper caute et raro sunt adhibenda, quamquam saepissime sunt necessaria, praecipue si convulsiones irradiatione ortae fiunt vehementes, morbusque insomniis exortis ingravescit. Tum narcotica, praeceteris aqua Lau-rocerasi et Morphium, nervorum sensibilium actionem deminuunt eoque morbosas irradiationes et reflexiones (verbo sit venia) tollunt.

Inter remedia virorum doctissimorum probata prae omnibus sunt enumerandi flores Zinci, qui maximam habere vim videntur, si morbus nervi sympathici irritatione ortus est. Quum autem in

omnibus choreae casibus sint adhibiti, alii nullum, alii optimum observarunt eventum.

Ab Josua Walcker (Medizinische Commentarien, Band 10, Theil 2) euprum sulphurico-ammoniatum maxime laudatur in hominibus teneris et parum validis. Ut aegrotis corpore valido et plethorico praeditis hoc remedium conveniat, victu tenui uti et quotidie alvum dejicere debent. Initio Walcker quotidie ter granum dimidium adhibuit, paullatimque dosin ad grana tria vel quatuor auxit, ita ut aegroti nausearent. Walcker usus est formula, quam Ph. Edinburgensis anno 1774 emendata praescripsit

R

Cupri ammoniaci grana sedecim

Micæ panis scrupulos quatuor


Spiritus salis ammoniaci q. s.


Fiat massa, dividenda in pilulas triginta duas aequales.

Praeterea commendantur Argentum nitricum, Zincum zooticum et sulphuricum, Bismuthum subnitricum praecipitatum etc.

Inter remedia e regno vegetabili desumpta famam singularem sibi compararunt radix Valeriana, Chenopodium ambrosioides a Plenk primum commendatum, Camphora et haec quidem, si morbus organorum sensibilium irritatione nimia

effectus est. Camphorae adhibendae causa fuit
versus poetæ, nescio cujus; sed non ignoror,
jam Stahlium comprobasse, hujus versus
lectionem a librariis corruptam et nares loco:
mares esse legendum; camphoramque in nym-
phomania, satyriasi aliisque morbis similibus
sanandis nihil profuisse.





horae adhibendae causa fuit
io cuius; sed non ignoro,
improbasse, hujus versus
corruptam et nares loco:
m; camphoramque in nym-
aliisque morbis similibus
se.

effectus
versus
jam S
lectionen
mares
phomania
sanandis

